


Johann Cothmann Matthaeus Voland

Disputatio ... De Praedestinatione ...

**Disputatio Secunda Partis Secundae : Qua Adversariorum effugia, vocationi
Universali externaе opposita considerantur, & ex Dei verbo refelluntur**

Rostochi[i]: Kilius, 1642

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738078778>

Band (Druck) Freier  Zugang



Verf.: M. Voland

Joh. Cothmann k
R.U. theol. 1642.

27.
DISPUTATIO SECUNDA
PARTIS SECUNDÆ,
DE
PRÆDESTINA-
TIONE.

Quâ
Adversariorum effugia, voca-
tioni Universali externæ opposita
considerantur, & ex Dei verbo
refelluntur,

Quam
CHRISTO MODERATORE,
PRESIDE
JOHANNE COTHMANNO,
S.S. Theol. Doctore & Professore.


Publicè proponet
M. MATTHÆUS VOLAND, Mœno-
Francofurtanus, S.S. Th. Studiosus.

Habebitur in Auditorio Majori Aprilis
horis à septimâ matutinâ.



ROSTOCHI,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANN 0 M, DC, XLII,



TOTI

*Perquam Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo,
Consultissimo, & Spectatissimo*

SENATUI IMPE-
RIALIS LIBERÆ ET CELE-
BERRIMÆ REIPUBL. MOENO-
FRANCOFURTENSIS.

UT ET

TOTI


Plurimum Reverendorum, Clarissi-
morum, & Excellentissimorum virorum, Ec-
clesiæ Dei ibidem Ministrorum vi-
gilantissimorum ac fidelissi-
morum collegio.

*Omnibus & singulis tam in illo, quàm in hoc, Do-
minis meis Mecænatibus, Patronis, Fautoribus,
Promotoribus atq; Evergetis meis maximis,
omni observantiæ & pietatis cultu devotè &
eratè prosequendis.*

Disputationem hanc Theologicam in grati ani-
mi mei symbolum, & ulteriorem promotio-
nem humillimâ animi submissione offero,
consecroq;

M. MATTHÆUS Voland / Mœno-
Francofurtanus S. S. Theolog.
Studiofus.






Alibus ingenijs, quale est tibi, Docte Vo-
LANDE,

Inclytus ex quavis arte paratur honos.
Nam seu Philosophos inter docta ora resolvis;
Inter Theiologos seu tua sensa aperis:
Theiologi cum Philosophis mirantur acumen,
Et tacitis dicunt hæc bona verba animis:
Ingenio valet atq; volat per cuncta VOLANDUS:
Plena ejus laudem mox hominum ora ferent.

Præstantissimo Dn RESPONDENTI

Amico suo perdilecto ita gratulatur

M ZACHARIAS JULICHIUS
Scholæ Rost. Collega.



Inclyta res, Sophiæ didicisse fideliter artes,
Inclyta res, libros evoluisse Sophum:
Theiologiam coluisse tamen magis inclyta res est,
Mentem, res magis est inclyta, scire DEL.
Tu VOLANDE satis, Vir solertissime, utramq;
Conjungis doctâ & commodiore viâ.

M. Sebastianus Wirdig
Mathematicum cultor.

Dum

DUm quoscunq; vocat cretos de sanguine
Adami,

Manca fit à reprobis, gratia summa Patris.
In medium verò prodis, Præclare Magister,
Nec non &, cunctos quod vocet illa, doces.
Hinc tibi Christicolæ deproment pectore grates,
Atq; canent laudes ore, VOLANDE, tuas.

Hæc Eximio ac summè Erudito

Dn. M. MATTHÆO VOLANDO,

cognato suo pl. dilecto gratu-

labundus ap.

Johannes Harpff/MF.

Doctis displicuisse bonisq;, est dedecus ingens.
Sed doctis placuisse bonisq;, ea maxima laus est.
Tu Clare hanc sequeris pede non remorante VOLANDE
Jamq; tenes, nam Te doctisq;, bonisq;, placere
Verum est, cœreatim te cuncti laudibus ornant.
Hoc agito quod agis divini oracula pande
Numinis, & Zwingli ac sociorum dogma refelle
Tetrum, sic sensim cum tempore gloria crescet,
Gloria quam non ulla potest abolere verustas
Teq; Deus demùm æterno mactabit honore.

In grati animi significationem Eximio
& Clarissimo Dn. Mag. fautori plur.
colendo victori suavissimo
apposui

Johann Hövisch,
Fehmar: Holf.



Consideravimus proximè divi-
nam *Φιλανθρωπίαν* vocationis per verbum
Universalitatis demonstratione, tribus imprimis
vicibus instituta. Quia verò contradicentes va-
ria hic quaerunt subterfugia, quibus manifestam
hanc veritatem obnubilare satagunt, breviter
illa expendemus, ac insuper argumentorum ipsorum adversa-
riorum ἀνάλωσιν succinctam subjungemus. Initiò distinctiones
quasdam tanquam caput Medusæ objectant, quarum prima est,
quando vocationem distinguunt in internam & externam. De ex-
terna inquit *Bucanus Loc. 36. Quaest. 24.* quamvis generaliter omnes
compellet vox Evangelij, rarum tamen est & singulare fidei donum.
Illud qua ratione intelligant adversarij, dilucidè exponit *Zanch. Lib.*
3. cap. 4. p. 283. Si verò quod præcipit Deus, illud nunquam perfici-
tur, manifestum est, totum hoc, non esse illam Dei voluntatem,
quæ propriè voluntas appellatur. Ratio est, quia quæcunq; vult
Deus: ea etiam efficit in cælo & in terra. Quæ igitur non fiunt: eti-
amsi à Deo præcipiantur, non ea certè propriè voluntas Dei appel-
lari possunt. Et *p. 284.* inquit: Sæpenumerò longè aliud est *man-*
datum & aliud *voluntas*. Aliquid enim mandat Deus, ut Pharaoni
& alijs impijs, quod propriè non vult.

2. *Wendelinus cap. 9. de prædestinatione* vim veritatis sentiens,
nostrates, quos importunos & inflatos vocat, triumphum sibi de Cal-
vinistis promittere ait, dum Unicam Dei voluntatem à conditione
mutabili minimè suspensam, publicè ab ijs doceri ac defendi audi-
unt. Proinde toto capite id unicè agit, voluntatem Dei propriè sic
dictam, Unam, absolutam, & immutabilem esse, quam perpetuò con-
sequatur effectus. Unde constat cum Calviniani distinguunt voca-
tionem in externam & internam. Illud tantum velle, quod externa

vocatio

C

vocatio ratione impiorum, non importet, Deum illorum velle conversionem & salutem. Quia enim impij qua tales non salvantur, proinde Deum non velle eos salvari. Quæ enim non fiunt, etiam si à Deo præcipiantur, voluntas Dei appellari propriè non possunt. Unde concludit Wendelinus, p. 27. mandatum Dei (vocatione externa expressum) non esse indicium voluntatis divinæ, sed normam duntaxat officij ab hominibus impijs præstandi. Et medium inobedienciæ eorum convincendæ. Hinc *cap. 15. p. 89. deserte ait.* Deum non omnes eo fine vocare, ut ingrediantur regnum cælorum.

3. Quæritur igitur, quando Deus alloquitur homines voce Prophetarum: convertimini *Zach. 1. v. 3.* revertimini à vijs vestris pessimis, custodite præcepta mea *2. Reg. 17. v. 13.* iudicium verum iudicate *Zach. 7. v. 9. 10.* Nolite indurare cervices vestras *2. par. 30. v. 8.* pænitentiam agite *Matt. 3. v. 2.* facite vobis cor novum *Ezech. 18. v. 32.* Ne obduretis corda vestra *Heb. 3. v. 8.* & passim. An ejusmodi vocatio externa sit à parte Dei conjuncta cum voluntate, ita ut serio velit in omnibus illis, quos verbo externo alloquitur, internè operari conversionem & fidem, modò homines ipsi Deo vocanti procaciter non resistant *Esa. 65. v. 12. Rom. 10. v. 21.* Id nos prævia scriptura affirmamus. Zanchius, Wendelinus cum complicitibus negant. Ut autem res eò fiat evidentior, id quod in quaestione non est seponemus. Non igitur quæritur: an vocatio externa & interna differant, ita ut à se invicem separari aliquando possint; id enim si negaremus, soli tenebras offunderemus: Sed controversiæ nodus in eo est: an Deus quoscunq; verbo externo invitat, conversionis sine id faciat, & serio velit ut salventur, adeo ut nisi homines, Spiritus S. operationem malitiôsè impediunt, omnes illi illuminentur, qui verbum Dei cum studio discendi, audiunt.

4. Hanc Thesin probamus primò à natura Dei, de qua *Zanch. lib. 3. Th. 2. p. 730. ait:* Deus veritas est in verbis per Prophetas & Apostolos prolatis & scriptis. Ideo Apostolus ad *Rom. 3. v. 4.* dicit Deum veracem esse in omnibus suis verbis. Et *Psal. 19. v. 8.* verbum Dei testimonium Domini fidele appellatur, id est verum & certum fideq; dignum. Hinc infert Zanchius Deum veracem esse imo veritatem

tatem

tatem ipsam 1. in seipso. 2. in suis operibus. 3. in suis verbis. Quando ergo Deus alloquitur impios: convertimini, agite penitentiam, quia nolo mortem peccatoris morientis. Id verissimum est. Unde Zanch. p. 280. sensum horum verborum hunc esse ait: Deum suo verbo omnes vocare ad vitam, & omnibus salutem offerre per Evangelium in Christo. Unde inferimus. Quicumque veraciter mandat, impios agere penitentiam, ille vult eos converti. At Deus veraciter mandat, impios agere penitentiam. Ergo quoque vult eos converti. Quod autem non convertantur, culpa non penece Deum, sed ipsos impios residet *Matth. 23. v. 37.*

5. Sed excipit Zanchius dupliciter 1. verba Christi: quoties volui, & tu noluisti, non sic esse intelligenda, quasi conqueratur Christus, quod Hierusalem se impediverit, ne posset filios congregare: sed contra Hierosolymæ Christum exprobrare, quod licet ipsa quantum potuit impediverit, ne Christus discipulos congregaret: ipse tamen illa etiam invita congregaret. Respondeo veritatis simplex est oratio, qui locum allegatum vellimis oculis intuetur, videt glossema Zanchij vim facere textui. Hinc Calvinus in h. l. ait: inter velle Dei & impiorum nolle, esse emphaticam oppositionem: quia exprimitur Diabolicus hominum furor, qui Deo reluctari non dubitent. Item: in hoc loco describi voluntatem Dei, qua ad salutem homines vocet, ex verbi natura.

6. Zanchius igitur hoc præsidio dejectus, aliam proponit explicationem, dicit ergo Christum verbo: *voluit* minimè locutum esse de sua arcana & omnipotenti, quatenus Deus est, voluntate, sed de affectu, quem ostendit & de officio quod præstitit Hierosolymæ: ut ipsam & omnes ejus filios, ad servatorem congregaret, ipsam autem restituisse semper. Respondeo, in negotio salutis non agnoscimus voluntatem Dei arcanam, sed revelatam: Christus enim omnia (ad salutem scitu necessaria) quæ à patre audivit, nobis nota fecit *Job. 15. v. 14.* Et Paulus auditoribus suis omne Dei consilium annuntiavit *Act. 20. v. 27.* Quod si daretur voluntas arcana verbo non revelata in salutis nostræ negotio, scriptura sacra esset imperfecta, quippe non omnia habens revelata. Quomodo ergo verum esset

esset quod ait Ursanus in Catech. p. 445. scripturam esse regulam, ad quam universa, quæ in Ecclesia docentur & aguntur examinari debeant. Caterum acceptamus Zanchium concedere Christum *Matt. 23. v. 37.* loqui de affectu suo, & officio incolis Hierosolymorum præstito. Hinc enim concludimus: quia affectus Christi ergo Hierosolymitanos bonus fuit. Voluisse eundem ut convertantur, hic enim congregationis Christi fuit finis. Inde Aretius in h. l. inquit: urbs Hierosolymorum ipsum Deum excussit, cupientem colligere filios ejus instar gallinæ, sed noluit. Et subjungit Aretius explicationem verbi noluitis, q. d. in Deo nulla fuit major cura, quam ut ferveremini: in vobis autem nulla minor, simpliciter noluitis. Hæc Aretius disertè confirmans nostram Thesin; Deum scilicet impios servationis sine vocare.

7. Wendelinus apertam hanc veritatem perspicens rem alia aggreditur via, p. 42. ubi inquit: voluit eos congregare voluntate signi, seu verbi ministerio, quo per prophetas ad pænitentiam ipsos invitavit, & media ad salutem necessaria monstravit, officium ab ijs exigendo, etsi amissam faciendi gratiam non restituere ab æterno decrevit & p. 88. inquit: monstrasse Christum Judæis viam, qua adversus imminentes injurias essent tuti. De fine verò vocationis ex parte vocantis textum non agere. Respondeo blasphemum esse dicimus, ac in Deum nostrum benedictum in secula *Rom. 1. v. 25.* valde ignominiosum, affirmare illum tantum voluntate signi, id est verbo externo revelata, voluisse judæos congregari & salvari. Et tamen eundem ab æterno decrevisse judæis amissam gratiam non restituere. Certè de viro politicè & moraliter bono nefas est id dicere, quod os nectar promat, mens autem aconita vomat. Quod laus in dictis fraus in factis: mel in ore, fel in corde. Quis ergo Deum sincero pectore, quantum humana admittit fragilitas venerans, patienter audiret blasphemias has voces: voluisse Deum voluntate signi, seu ministerio verbi congregare judæos, eosq; ad pænitentiam invitare, & media ad salutem necessaria monstrare. Et tamen ab æterno decrevisse amissam gratiam non restituere. Apage has blasphemias! nos longè rectius de Deo nostro, scriptura prævia sentimus & loquimur,

mur, utpote scientes ipsius opera esse **ἰσχυρὰ** in fide *Psal. 33. v. 4.* & promissiones Dei in Christoteste Apostolo sunt *Amen. 2. Cor. 1. v. 20.* *πιστὸς γὰρ ὁ ἐπαγγελία μιν* & *Hebr. 10. v. 23.* Quod si ergò religio Wendelini admittit hoc *παραδόξον*, & summam hanc impietatem, ad orcum usq; relegandam: Deus externo ministerio homines impios ad pænitentiam invitat, & media ad salutem necessaria monstrat, & tamen ab æterno decrevit amissam gratiam non restituere. Sciat nos toto corpore exhorrescere, dum ab ijs qui Christiani audire volunt talia de Deo nostro glorioso publicè scribuntur.

8. Si *Quarar* quis: anne ergò ab æterno Deus fecerit decretum, de quibusdam damnandis, quomodo itaq; in tempore, illorum velle potest salutem? Respondeo, sicuti decretum electionis non est absolutum, sed in Christo fide apprehenso fundatum, conf. *Zanch. Lib. 5. de Nat. Dei p. 535.* ita decretum reprobationis & subsequenter damnationis non est absolutum. Deus omniscius ab æterno vidit Judam fore proditorem indeq; habito respectu ad peccatū proditionis ac intermissæ pænitentia, in numero fuit reprobatorum. Christus interim quæ ad Judæ conversionem facere poterant, non intermisit *Matt. 27. v. 24. Mar. 14. v. 21.* Causa itaq; reprobationis & consequenter damnationis primaria, non est, dicente. *Zanchio Lib. 3. de N. D. Th. 2. p. 287.* voluntas Dei, quia scil. Deus ab æterno noluerit Judam in numerum electorum recipere, & illius misereri. Si enim Deus voluisset, potuisset tam Judam vera donare resipiscentia, & ita misereri: quàm etiam Petrum donavit. atq; ita tam illum servare, quàm hunc. Respondeo, quod Judam non donavit verà resipiscentiã, in causa non est, sola Dei voluntas, sed Judæ desperantis impietas, *Matt. 27. v. 3.* Ideo Zanchius largiri cogitur allegato loco, cur Christus non sit, miserus Judæ & Petri miserus, responderi posse hanc fuisse causam, quod Judas non verè resipuerit, ut Petrus, sed subjungit: resipiscentiam Dei donum esse. Respondeo resipiscentiam esse Dei donum, quod nemo per naturam possidet, verissimum est: interim tamen qui se ipsos indignos reddunt hoc Dei dono, illis id ipsum Deus non largitur.

9. Ex Dei dono itaq; Petrus egit penitentiam, postquam enim Christus illum intuitus est non morosè reluctatur, quod de suo facere potuisset, sed verborum Christi memor, acerbè flevit *Luc. 22. v. 61. 62.* Judas verò indignum sese hoc dono reddidit, dum Christo fideliter monenti. *Matt. 26. v. 24.* restitit & magis Diaboli suggestionibus locum dedit *Job 13. v. 2. 27.* poterat autem Judas de suo esse malus & salutem impedire, qui non poterat esse de suo bonus, & salutem directè promovere; conversio enim est solius Dei opus. Absit ergò, quod identidem nobis objectant adversarij, à nobis pelagianismi suspitio, de qua reinquit *Bucanus da Lib. Arbit. Quest. 19. p. 185.* quod dogma: illud de gratia Universale, repugnet orthodoxiæ de Libero Arbitrio. Nam quæ consequentia. Dei gratia à parte Dei offerentis universalis est, ut qui illam malitiosè à se non repellit, nec Spiritui Sancto operari conversionem volenti repugnat, ille à Deo convertitur. Ergò stabilitur pelagianismus! Pelagianorum dogma recensente *Bucano Loco 18. p. 184.* est, hominem proprijs naturæ viribus sine gratia Sp. S. ad Deum se posse convertere. Semipelagiani verò, dicente eodem, conversionem partim gratiæ Dei, partim viribus liberi arbitrij tribuunt, ab utrisq; sumus alienissimi. De primis res expedita est. Semipelagianismus nobis iniquè attribuitur, corde enim credimus, & ore confitemur hominem in spiritualibus esse mortuum, ut igitur corpus mortuum se ipsum vivificare, atque sibiipsi corporalem vitam restituere nequit: ita homo spiritualiter mortuus, seipsum in vitam spiritualem revocandi non habet potestatem conferatur F. C. liber nostrarum Ecclesiarum symbolicus p. 579. 673.

10. Id licet verissimum sit, non tamen sequitur: Quicumq; asserit hominem posse impedire sui ipsius conversionem, ille vel Pelagianus vel semipelagianus est. Nam in malo, homo habet liberum arbitrium, sed in bono & ipsa conversione non habet. Rectè ergò F. C. ait. p. 579. conversionem hominis operatur Spiritus S. non sine medijs, sed ad eam efficiendam uti solet prædicatione & auscultatione verbi Dei, sicuti scriptum est *Rom. 1. v. 16.* Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credendi. Et fides ex au-

ditu

ditu verbi Dei *Rom. 10. v. 17.* Et sanè vult Dominus, ut ipsius verbum audiatur, ne ad illius prædicationem aures obturentur. Huic verbo adest præsens Spiritus Sanctus, & corda hominum aperit, ut, sicut Lydia in Actis Apostolicis, diligenter attendant & ita convertantur, sola gratia & virtute Spiritus Sancti, cujus unius & solius opus est hominis conversio. Hucusq; Form. Concord.

11. Wendelinus autem *ἡγεδοζία* & *παιδοζον* appellat p. 5. si quis cum externo verbi præconio, internum Spiritus S. auxilium perpetuo conjungat, ut assentiri possint & ad salutem credere, modo velint auditores. Et subjungit assertionem hanc esse portentum sententiæ, quod Pauli pronuntiato repugnet *Rom. 9. v. 19.* non est volentis vel currentis, sed Dei misipientis. Respondeo ambiguitas est in phrasi: assentiri posse auditores modo velint. Id enim si eo sensu dicitur, in homine manere vires quasdam naturales, quibus median-conversio hominis promoveatur, tum illa sententia falsò nobis imputatur. Quod si verò eo sensu dicitur, hominem posse impedire sui ipsius conversionem & Spiritui S. obicem ponere, cor indurare, oculos comprimere ne convertatur, ut totidem ferè verbis dicitur *Matt. 13. v. 14. 15. Act. 28. v. 27.* tum verissimum est. Nec Pauli sententiæ assertio nostra repugnat. Ultrò largimur, non esse volentis nec currentis, sed Dei misipientis. Ita tamen ut homines sua malitiosa repugnantia effectum misericordiæ impedire possint. Qua de re perpetuæ Spiritus S. in sacris literis sunt querelæ, vocavi, renuisti *prov. 1. v. 24.* volui ego, tu noluisti *Matt. 23. v. 37* expandi manum, contradixisti *Rom. 10. v. 21.* & passim. Quando ergò Deus verbum annuntiare curat, tum omnes illi credunt qui sermonem non cum studio contradicendi *Act. 7. v. 51.* sed discendi audiunt *Act. 10. v. 44.*

12. Sed nondum quiescit Adversarius inquit enim tanquam eximium quiddam, Paulum narrare cor auscultanti Lydiæ à Deo apertum esse, cur beneficium Dei in sola Lydiæ prædicaret, quod commune ei cum omnibus fuerat? Respondeo Spiritus S. per Paulum exponit quid actum sit, quomodo Apostoli in loco precatiōni & cultui divino destinato convenerint & mulieribus illic convenien-
tibus

ibus verbum Dei locuti sint, inter quas mulieres quædam nomine Lydia, cum studio discendi, verbum audixit. Cum ergo illa Spiritui S. non malitiosè resisteret, quod sicuti cætera ex se potuisset, Dominus aperuit cor, ut attenderet his quæ à Paulo dicebantur. In textu enim duo dicuntur 1. Lydia audivit. 2. Dominus cor aperuit. Prius ex se potuit. Potest enim homo ex se auditu externo, cum studio cognoscendi, discendi & meditandi, verbum Dei audire *Act. 13. v. 7.* posterius solius Dei beneficium est. Hinc constat quid respondendum sit exceptioni huic, quod beneficium Lydiæ in apertione cordis collatum, commune fuerit, quod tamen recitetur tanquam peculiare. Respondeo verbum quod prædicabat Paulus, Unde Lydiæ cor apertum, & cæterarum mulierum corda non sunt aperta, Unum & idem fuit. Diversitas ergo fructificationis non est ascribenda verbo, sed hominibus verbum vel audientibus vel à se repellentibus *Act. 13. v. 46.* Et sicuti semen Unum fuit quod *Luc. 8. v. 5. 9. 7.* non edidit fructum, quia culpa fuit in agro non in semine. Nam *v. 8.* semen in terram bonam iactum fructum fecit centuplum. Ita verbum, Dei mandato vocatione externa prædicatum ex Dei intentione semper efficax est, quamvis hominum culpa actualis efficacia sæpius impediatur.

13. Regerit Wendelinus: si efficacia verbi communis fuit tum per insaniam dicendum esset, per Pauli concionem illuminatos & regeneratos Athenienses, qui eam Cavillabantur *Act. 17. v. 32.* Judæos qui Paulo Christum testificanti sese opponebant & blasphemabant *Act. 18. v. 6.* Respondeo. Quamvis ex antecedentibus satis constet, quid respondendum sit, ne tamen Wendelinus nos insanos esse dicat, bene distinguendum est inter efficaciam verbi divini in sese consideratam, ac foras prodeuntem. Verbum Dei quod in Ecclesia aliqua sonat in sese æqualiter efficaciam habet, licet multi impij illius operationem impediunt. Sic in loco nobis objecto *Act. 17. v. 32.* concio Pauli ab impijs ductum rationis sequentibus risu fuit excepta. Alij tamen minus operationi verbi resistentes dixerunt: audiemus te de hoc iterum. alij Paulo adhærentes crediderunt. Quod ergo attinet locum à Wendel. objectum. *2. Cor. 4. v. 3. 4.*
Quod

Quod si tectum est Evangelium nostrum ijs qui pereunt tectum est. Id libenter largimur, idq; ob rationem in textu immediate additam quia Deus hujus seculi excæcavit impiorum mentes, ne irradiet eos lumen Evangelij. Quod si impij sese à Diaboli excæcari passi non fuissent, tum lumen Evangelij eos æque irradiasset, quam alio credentes. Et ejusdem est sententiæ, querela Jesaiæ *c. 53 v. 1.* Qui credit prædicationi nostræ. Judæi debebant Christum recipere, se l offendebantur per illum *Mar. 6. v. 3.* ideo licet in sua venerit, sui tamen illum non receperunt *Joh. 1. v. 11.* Hac de re instituit propheta querelam, considerans & prævidens in spiritu summam Judæorum perveraciam, quod plurimi illorum conciones de Christo non sint recepturi, sed malitiosè aspernaturi. Fiat vero nexus: hic ve ille procaciter impedit operationem verbi, ergò operatio, à part: Dei non est semper cum verbo conjuncta. Numne negato acti secundo, actus primus propterea negandus? Num licet in ferre, hæc vel illa medicina in homine agonizante non habet operationem, ergò absolute loquendo medicamentum destituitur sua operatione!

14. Excipitur à Wendelin. cap. 3. p. 10. hac ratione stabiliri pelegianismum, de viribus liberi arbitrij in nondum renatis, & sequocationem non tantum esse miserentis Dei, sed & volentis & currentis hominis. Responsum ante *Thef. 10.* id minime sequi. Deus solus convertit homines, vires liberi arbitrij in spiritualibus (in ijs enim mortui) non habentes, sed malitiam suam quam habent non exerentes, nec eandem ipsi opposcentes. Licet enim homo post lapsum non habeat liberum arbitrium in bono, habet tamen liberissimum arbitrium in malo. Cum ergò convertitur ad Deum, non id voluntati ac cursui hominis tribuendum. Deus enim est efficiens *πὸ θελεῖν καὶ τὸ ἐνεργεῖν Phil. 2. v. 13.* Quando autem non convertitur, id hominum malitiæ ascribendum, ut scriptura diserte testatur *Esa. 5. v. 4. Matt. 23. v. 37. Act. 7. v. 51. Rom. 2. v. 4.* Illustraboy rem exemplo *Act. 28. v. 23.* Paulus catenis vincetus Romæ prolixam habuit concionem de Jesu, ex lege Mosi & Prophetis à mane usq; ad vesperam. Et subjungitur *v. 24.* concionis eventus & effectus.

D

Quidam

Quidam credebant, quidam verò non credebant. Qui crediderunt ex Dei dono id habent *Phil. 1. v. 29.* Qui vero non crediderunt obstante propria malitia illud factum est. Hinc Calv. in h. l. recte ait: ne miremur si claræ Evangelij doctrinæ multorum incredulitas hodiè resistat, & multi obstinati maneant. Idem ad *v. 25.* ait Calv. Hoc efficit infidelium malitia & pravitas, ut Christus qui est pax nostra, & unicum sanctæ unitatis vinculum dissidij sit occasio. Et ne longe abeamus textus aperte assignat *v. 27.* incredulitatis causam, scil. quia illorum cor à diabolo sit incrassatum, & ipsi auribus βαρβάρως audierunt & oculos compresserunt, ne videant, nec audiant, ut convertantur.

15. Pareus in castigationibus Anti-Bellarminianis excipit ad loca quatuor Thef. præcedente allegata, & ad primum *Esa. 5. v. 4.* ait, *p. 129.* concedere se, Deum ἀποστολῶν δὲ τῶν ἁγίων docere se omnia populo fecisse. Quæ vititor vineæ suæ facere solet, & concedit Judæos habuisse auxilium sufficiens, ad conversionem quantum ad externa conversionis media, prædicationem prophetarum, sacrificia, Sacramenta, miracula, beneficia alia innumera: nec non quantum ad illuminationis gratiam attinet, quibus omnibus illi ad penitentiam allici, duci omnino debuissent. Negat autem habuisse illos auxilium sufficiens ad conversionem simpliciter, ita ut alia efficace gratia nulla accedente, sua sese voluntate convertere possent, id falsum esse ait. Respondeo si primum candidè largitur Pareus Deum, omnia illa fecisse quæ ad conversionem suffecerunt, satis habemus. Nos enim non dicimus posse hominem sua sese voluntate convertere, licet possit conversionem sua malitia impedire, sicuti ex hoc loco satis constat. Cum enim quæritur cur populus Israëliticus sufficientia conversionis media externa, fatente ipso Pareo, habens non sit conversus, secundum scripturam non rectè respondetur quia efficax Dei gratia non accessit. Nam denuò quaestio instituenda, cur illa non accesserit? Et prævio Dei verbo rectissime dicitur: quoniam induraverunt cervicem suam *Jer 19. v. 15.* & nuntios Dei subsannarunt, & sermonem Dei irriserunt *2. par. 36. v. 16.* tentaverunt Deum in cordibus, & malè locuti sunt de Deo

Psal. 78

*Pfal. 78. v. 19. 20. superbè egerunt, & induraverunt cervices suas
Neb. 9. v. 16.*

16. Ad secundum ex *Matt. 27. v. 37.* respondit p. 131. repetendo priora de conversione, quantum ad externa congregationis media, quibus sufficienter invitati sint ad fidem & respicientiam, ut desiderari amplius nihil poterit. Quæ ingenua Parei confessio asterisco est notanda. Quid autem respondendum sit ex præcedente Thesi patet. Deinde inquit voluisse Christum congregare Judæos voluntate præcepti, indefinenter eos invitando ad fidem per verbum & varia miracula. Illi vero Christi verbo & signis credere malitiosè noluerunt. Respondeo idem & nos dicimus, quod scilicet, obstante hominum malitia, impij non credant. Cæterum ὑπερόν π habet Pareus quando ait: voluntate præcepti Christum Judæos voluisse congregare, sine dubio enim id intendit quod quidem voluntate signi & revelata illud voluerit, non verò voluntate arcana & beneplaciti. Sed supra *Thes. 67.* ad illud effugium impium & blasphemum responsum est. Acceptamus verò quod voluntatem suam Judæos congregandi præcepto declararit, id ergò verum esse credimus, quia impossibile est Deum posse mentiri *Hebr. 6. v. 18.*

17. Ad locum Tertium ex *Act. 7. v. 51* pareus reponit p. 133. I. homines impios resistere Spiritui S. quia Spiritum in prophetis loquentem contumaciter rejiciunt. Respondeo illa assertio sententiam nostram confirmat, dum enim rejiciunt Spiritum in Prophetis loquentem, ipsi Deo sese opponunt. Qui enim Prophetas à Deo missos audit, Deum ipsum audit, & qui Prophetas & Apostolos spernit, ipsum Deum spernit *Luc. 10. v. 16.* Judæi ergò resistentes Prophetis ipsi Spiritui S. restitisse dicuntur. Prophetæ enim & Apostoli, non erant illi loquentes, sed Spiritus patris qui loquebatur in eis *Matt. 10. v. 20.* non enim hominis voluntate allata est olim Prophetia, sed à Spiritu S. impulsus, locuti sunt Sancti Dei homines *2. Pet. 1. v. 21. 2.* inquit resistere posse & velle Deo in ministris suis loquenti, omnibus in statu peccati, naturale. Quibus vero bona desideria efficienter à Deo inspirantur, ij licet naturaliter resistere possint, tamen propter efficacem Dei gratiam resistere spiritui non volunt,

sed obtemperare irrefragabiliter volunt. Respondeo confunditur resistentia naturalis seu innata, quæ ob peccatum originale omnibus inest hominibus, cum resistentia hostili, malitiosa & per peccatum actuale aggravata. Prior omnibus competit hominibus in peccatis conceptis & natis. Et hæc conversionem ad Deum non impedit, aliàs nullus hominum salvaretur. Resistentia autem hostilis & malitiosa per peccata actualia accumulata de qua *Ath. 7. v. 51. & Neh. 9. v. 16. Jer. 5. v. 3. Zach. 7. v. 11. 12.* veram illuminationem non admittit. Proinde frustra dicit Pareus, quod propter efficacem Dei gratiam Spiritui S. resistere non velint. Contrarium enim partim hic locus *Ath. 7. v. 51.* partim alia scripturæ loca testantur, quod homines malitiosè ipsi Deo, ejusq; gratiæ efficaci resistent, qua de re perpetuè Prophetarum testantur querelæ. Vide *Jer. 35. v. 15. 2. par. 24. v. 19.* & passim.

18. Tandem ad quartum locum *Rom. 2. v. 4.* Respondet. 1. Deum non expectare nostram conversionem, sed sua benignitate & beneficijs nos ad resipiscentiã invitare. Respondeo Deum non expectare nostram conversionem falsum est, ut ex hoc loco patet. Et totidem verbis contrarium dicitur *Esa. 5. v. 4.* expectavi ut faceret Unas, ubi vera conversio cum suis fructibus per uvas intelligitur. Conf. Locus *Esa 65. v. 2.* ubi Deus manus suas tota die expandisse dicitur, non alio certè, quàm conversionis fine. Acceptamus autem quod subjungit Pareus Deum sua benignitate & beneficijs ad resipiscentiã nos invitare, eo ipso enim indubitanter colligimus, Deum velle nostram resipiscentiã & conversionem. Ad quod enim Deus nos invitatur illud vult. Atqui teste Pareo, ad resipiscentiã nos invitatur. Ergò eandem vult. Absurdissimum enim, imo intipium foret, affirmare Deum benignitate sua & beneficijs ad resipiscentiã nos invitare. Et tamen non velle nostram resipiscentiã. 2. Excipit: Quorum pænitentiam Deus expectat, ijs dedit auxilium sufficiens ad conversionem secundum quid nempe quantum ad externa conversionis media, vel etiam quantum ad agnitionem gratiæ & voluntatis divinæ sufficientem attinet, sed non dedisse auxilium sufficiens ad conversionem siac alia efficace gratia. Respondeo
distra.

distrahit Pareus quæ à parte Dei sunt conjuncta, etenim cum dat Deus auxilium sufficiens ad conversionem, quo ad media externa ab illis gratia efficax à parte Dei non est secludenda. *Herb. 4. v. 12.* Quamvis efficacia illa à parte hominum obstante illorum malitia, sapius impediatur, ut in antecedentibus aliquoties dictum est.

19. Sed excipiunt communiter adversarij, si omnium conversionem vocatione externa Deus vellet, utiq; omnes converterentur. Nam voluntatem Dei propriè sic dictam semper impleri expressis probat Wendelin. scripturæ dictis *Cap. 3. p. 24.* quorum primum Zanchium secutus *libr. 3. de N. D. cap. 4. p. 282.* de sumit ex *Esa. 46. v. 10.* Consilium meum stabit, & omnem voluntatem meam facturus sum. In quo loco Wendelin. notat particulam Universalem כל הַפְּעִיָּה omnem voluntatem, si aliqua voluntas Dei propriè sic dicta, quæ non impletur, quo pacto sua dicto huic veritas constabit? Nisi forte contradictoria simul vera esse possunt: Omnis voluntas Dei impletur, quædam voluntas Dei nō impletur. Respondeo, textū agere de futura liberatione populi judaici ex captivitate Babylonica per Cyrum præstanda & vastatione Imperij Babylonici. Dicit ergò Deus per Prophetam consilium suum & omnem illam voluntatem, de futura liberatione per Cyrum in actum deducenda & excidio Monarchiæ Babylonicæ fore immotam conf. *Esa. 14. v. 27.* quod clarius *cap. 47. v. 3.* innuitur dum dicitur: Sede in pulvere filia Babylon, ultionem capiam & non resistet mihi homo. Jam verò Wendeline exere acumen ingenij tui, & ex hac propositione præ ratione subjectæ materiæ exponenda: consilium meum & voluntas sive delectatio mea omnis, in hoc opere partim liberationis populi, partim excidij regni Babylonici fiet & immota stabit. Ergo in genere, facta applicatione ad quamvis materiam, & in specie de vocatione externa, ad salutem hominum directæ, verum est consilium Dei & voluntatem ejusdem semper impleri. Inferam ergò Impios spiritualiter non esse mortuos, quia Deus illos mori non voluit. *Ezech. 18. v. 32. c. 33. v. 11.* præfractos illos peccatores de quibus apud Prophetam agitur non elegisse malum, quia Deus id non voluit *Esa. 65. v. 12.* Judæos ad regnum Christi congregatos, quia hæc

fuit Dei voluntas. *Matt. 23. v. 37.* pharisæos & legis peritos à Johanne Baptizatos, quia hoc fuit Dei consilium *Luc. 7. v. 30.* Impios Dei consilium de conversione non despexisse, quia consilium Dei fuit ut convertantur *proverb. 1. v. 23.*

20. Quod igitur particulam Universalem *omnis* attinet, illa sapius pro materia subjecta intelligitur. V.G. de Davide legitur *Act. 13. v. 22.* illum esse virum juxta cor Dei, qui facturus esset. *πάντα τὰ θελήματα θεῶν. 1. Cor. 13. v. 2.* Paulus de se dicit: si haberem *πάντων τὴν πίσιν Phil. 4. v. 13.* Apostolus de seipso dicit *πάντα ἰχύω.* In his & similibus locis, voculam *omnis* pro subjecta materia accipi ita evidens est, ut Beza in Notis majoribus dicat ad *1. Cor. 13.* Quod autem attinet ad *πάντων* (quam particulam urget Pighius cum Sophistis) non significat hoc in loco universalem complexum specierum, sed istius speciei quandam perfectionem declarat, id est totam potius, quam omnem significat ut *Rom. 7. v. 8.* Et ad locum *Act. 13.* inquit Beza. Hoc de ipsa lege non intelligitur, sed de peculiaribus mandatis ad Davidis vocationem & personam spectantibus. Haut aliter, tota & *omnis* illa voluntas Dei de subversione Babylonis ac restitutione Israelis fiet & executioni dabitur. Nam statim additur *v. 11.* voco ab oriente, id est Persia, quæ respectu terræ sanctæ ad orientem sita, volucrem id est Cyrum, qui velocissimo impetu contra Babyloniam quasi pervolaturus est, per quem totam hanc meam voluntatem & consilium expediam. Unde textus illam *v. 11.* effectorem consilij Dei vocat. Quæ verò Wendeline sequela: tota & *omnis* voluntas Dei, in hoc presenti opere de quo Prophetæ sermo est stabit. Ergò quicquid Deus vult in negotio salutis, semper actu impletur. Vel quia non impletur, inferamne. Ergò Deus non vult? V.G. nullus hominum solo Christo excepto perfectissimè & omnibus numeris absolute legem moralem implet, ex tua hypothesi inferesne Wendeline: Deus non vult homines implere legem, quia huic Dei voluntati à nullo mortalium satisfit *Rom. 8. v. 3. Act. 15. v. 11. Gal. 3. v. 21. 22.* Quid hinc Wendeline responsurus sis mature tecum cogita. Tua major est: voluntas Dei propriè sic dicta semper impletur. Subsumo: lex à nobis non impletur. Ergò legis

legis impletio non est Dei voluntas. Cum igitur dicitur *Matt. 22. v. 37.* Diliges Dominum tuum ex toto corde, ex tota anima, & in tota mente tua. Et ex hominibus in peccato conceptis & natis nemo id facit, ex Wendelini hypothese inferendum erit: non esse hanc Dei voluntatem, proprie sic dictam quia non impletur, ut quis Deum ex toto corde diligati! Quam id autem absurdum sit quilibet videt, & tamen ex Wendelini, Zanchij, ut & aliorum hypothese rectè inferitur.

21. Deinde Wendelinus Calvinum t. lib. 16. §. 3 & alios secutus pro sententia sua confirmanda adducit locum ex *Psal. 115 v. 3.* Quaecunq; voluit fecit. ubi ait, iterum contradictionem conciliandam: Deus omnia fecit quæ voluit; quædam non fecit quæ voluit. Respondeo contextus Psalmi iudicat ibidem sermonem esse de omnipotentia Dei in creationis opere sese exerente. Unde Mollerus in hunc Psalmum ait: libera voluntate condidit omnia quæ voluit, & condita conservat. In textu enim est antithesis numinum ficticiorum gentilium, & unius veri Dei Israelis, qualis & *Psal. 96. v. 5.* cernitur: Gentes Judæis in periculis constitutis insultantes dicebant: ubi est Deus illorum *v. 2.* subjungitur responsio fidelium spem suam Unicè in Deum collocantium *v. 3.* Deus noster in cælis est, id est, non malè explicante Piscatore in h. l. cælesti majestate & potentia præditus. Proinde non colimus inane aliquod commentum, argentum & aurum, opera manum hominum, sed illum qui fecit cælum & terram *Act. 17. v. 24.* Dij enim qui cælum & terram non fecerunt pereant de terra *Jer. 10. v. 11.* Deus ergo noster quem colimus omnipotens est. Proinde ipsa Psalmi *ovvè-πνiα* arguit sermonem esse de voluntate & potentia in opere creationis, non verò in opere redemptionis & salvationis sese exerente. De voluntate & potentia in creatione verissimum est: ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt *Psal. 33. v. 9.* At in opere redemptionis & salvationis longè alia ratio. Ibi enim dicitur: ego volui, tu noluisti, vocavi non respondiisti, non delector morte impiorum, qui tamen moriuntur, conferantur quæ *Tb. 19.* dicta sunt.

22. De.

22. Deinde ipse *Zanchius* p. 253. allegati libri distinguit inter voluntatem Dei absolutam & conditionatam. De absoluta rectè dicit quod impediri non possit, quia simpliciter & absolute ea fieri Deus velit. De conditionata ait: Quædam Deus vult conditionaliter, ut omnes homines servari. Proinde quia non omnes præstant conditionem, idcirco non omnes servantur, & voluntas hæc Dei non semper impletur. Quod igitur *Wendelini* attinet contradictionem: Deus omnia fecit quæ voluit; quædam non fecit quæ voluit, illa per se propter diversum respectum corrui. Nam in articulo creationis Deus quæcunq; voluit fecit, quia omnipotens est. In articulo recreationis seu ἀνακτίσεως itidem quæcunq; voluit fecit, genus humanum per Christum liberando, & redimendo & quicquid primus Adam amisit restituendo, sed quia maxima pars, eheu, generis humani illud beneficium parvi pendit, multa certè ab hominibus fiunt, quæ Deus fieri non vult. Sic voluit invitatos venire ad nuptias spirituales, id est beneficiorum morte Christi partorum esse participes, quo nomine emisit servos suos ad vocandum nuptiales *Matt. 27. 2. 34.* & seqq. sed nolebant venire. Parat cænam magnam & vocat multos, sed invitati se excusare incipiunt *Luc 14. v. 16.* & seqq. voluit Israëlitas tollere abominationes idolatricas *Jer 4. v. 2.* sed contrarium tamen factum est *Jer. 7. v. 17. 8. c. 8. v. 19.* voluit eosdem reverti à via sua mala, & pessimis studijs, & propterea misit Prophetas ⲙⲟⲩⲧⲏ mane surgendo, id est diligentissimè conf. *2. par. 36. v. 15.* & non audiverunt *Jer. 25. v. 4. 7.* & quis potest omnia illa recensere, quæ Deus fieri voluit, licet, obstante hominum malitia non facta sint. Quæ *Wendelinus* hic excipit futura disputatio, una cum alijs super fugijs, & adversariorum argumentis explanabit. Hic ergo
finis esto &.

SOLI DEO GLORIA.

legis impletio non est Dei voluntas. Cum igitur
 v. 37. Diliges Dominum tuum ex toto corde, ex to-
 ta mente tua. Et ex hominibus in peccato com-
 mo id facit, ex Wendelini hypothese inferendu
 hanc Dei voluntatem, proprie sic dictam quia n-
 quis Deum ex toto corde diligati! Quam id au-
 quilibet videt, & tamen ex Wendelini, Zanchij,
 pothesi rectè inferitur.

21. Deinde Wendelinus Calvinum t. lib. 16.
 tus pro sententia sua confirmanda adducit locu
 Quacunq; voluit fecit. ubi ait, iterum contrad-
 andam: Deus omnia fecit quæ voluit; quædam
 luit. Respondeo contextus Psalmi iudicat ibide
 de omnipotentia Dei in creationis opere sese ex-
 lerus in hunc Psalmum ait: libera voluntate co-
 voluit, & condita conservat. In textu enim et
 num fictiorum gentilium, & unius veri Dei Isra-
 96. v. 5. cernitur: Gentes Judæis in periculis con-
 dicebant: ubi est Deus illorum v. 2. subjungitur r-
 spem suam Unicè in Deum collocantium v. 3. I-
 lis est, id est, non malè explicante Piscatore in-
 state & potentia præditus. Proinde non colim
 commentum, argentum & aurum, opera manu
 illum qui fecit cælum & terram *Ath. 17. v. 24.* Di-
 & terram non fecerunt pereant de terra *Jer. 10.*
 noster quem colimus omnipotens est. Proinde
πνα arguit sermonem esse de voluntate & poten-
 tionis, non verò in opere redemptionis & salvatio-
 De voluntate & potentia in creatione verissimu
 facta sunt, ipse mandavit & creata sunt *Psal. 33.*
 redemptionis & salvationis longè alia ratio. Ibi e-
 volui, tu noluisti, vocavi non respondiisti, non de-
 piorum, qui tamen moriuntur, conferantur quæ T

